

Sarajevo, die 12. Maii 1942.

Nr<sup>o</sup>763/42

Reverendissime Pater,

Definitorium Provinciale huius Provinciae in suo congressu a die 28. Aprilis usque ad diem 1. Maii 1942. servato ab Ordine dimisit P. Tomislaum Filipović, sacerdotem huius Provinciae ad normam can.653 C.I.C.

Nominatus Pater rei militari justo plus adhaerens initio mensis Februarii h.a. contra expressam prohibitionem P. Guardiani conventus de Petrićevac - qui ab urbe Banjaluka spatio 3.km. distat - in Zagreb profectus est, ibique absque praevio consensu sui Min. Provincialis ut militiae adscriberetur obtinuit.

Die 6. Februarii 1942 hora 9-post meridiem P. Tomislaus a Guardiano praedicti conventus licentiam in urbem Banjaluka pergendi petiit, qui tamen licentiam denegavit. Non obstante hac prohibitione P. Tomislaus tamen in urbem Banjaluka perexit et nocte a 6. ad 7. diem Februarii secutus est milites sic dictos propugnatores (croatice: "Ustaše"), qui contra incolas orthodoxos rurium Drakulić, Motike et Šargovac prope Banjaluka expeditionem militarem poenalem duxerant. In hac expeditione plus quam mille et sexcenti orthodoxorum interfecti sunt.

In canonica visitatione, quam initio mensis Aprilis h.a. in conventu de Petrićevac habebam, haec tamquam certa reperi: P. Tomislaus huic expeditioni adfuit, quod et ipse in sua enuntiatione affirmat. P. Tomislaus hanc expeditionem comitari non debuit. Ita colonelus Servaci, qui ex parte Status ad examinandam hanc causam

missus fuerat, apud P. Guardianum de Petrićevac enun-  
tiavit. P. Tomislaus hac sua assistentia, licet incertum  
sit utrum aliquem interfecerit, apud omnes absque dis-  
crimine religionis magnum scandalum commovit et Provin-  
ciae nostrae magnum nocumentum intulit, eo magis, quia  
membra huius Provinciae hucusque in eventibus huius  
temporis ubique se correctissime gerebant.

Humillime rogo Rev.-mam P.T., ut hanc rem iudicio  
S. Sedis iuxta tenorem 653. C.I.C. subjiciat.

Paternitati Tuae Reverendissimae in S.P.N. Francisco  
addictissimus

fr. Angelus Kaić  
Min. Prov.

L.S.

-----  
Ex Archivo Procurae Generalis  
Ordinis Fratrum Minorum  
anno 1942 - nr. 2771.